

F.V. 57. (36)

IV  
Zb  
6634

Georg. Hessus

X 204 7429

GEORGII HESSI,

LYMNASII PRINCIPALIS,

LIBRORUM, QUAE SINGULIS ANNOBUS

PER MENSEM FEBRUARIUM

EX LIBRARIIS MERTZ ET TYEN, PALM, LIEPMANN, SCHMIDT,

FRANCOFURTI AD M. LIBRARIIS

FLOS REIPUBLICÆ

ET

TEMPORVM FAVSTITAS

CANA TEMPORA

NON SINE

INFAVSTO ET LACHRYMOSO CASV  
CADENTIA.



FLOS REPUBLICAE

TEMPORVM PAVSITAS

CANA TEMPORA

NON VIVIT

INFAVSTO ET LACHRYMOSO CASU  
CADENTIA

Concurrere ciuitatis GOTHANÆ ordines,  
superi, inferi & medioximi!  
consecrandus est

**GEORGIVS HESSVS,**

GYMNASII VESTRI RECTOR,  
iuuentutis, quoad vixit, formator solertissimus,

Hic nudiustertius superis adscriptus est,  
gloriosis confertus manibus

MONNERI, SCHIPPERI, MERVLÆ, SVESSENBACHII, LINDEMANNI, SCHMIDII,  
MEIERI, DINCKELII, HELDERI, WILCKII, WEITZII, REIHERI,  
eiusdem curriculi antistitum,  
& sociorum curarum, laborum, vigiliarum, ærumnarum,  
quamdiu in hoc vmbatico circo sunt versati.

Scilicet

magna & nobilis anima,

dum ceu nouum iubar inter duodecim sidera cooptatur,  
refert redditque lucem, vnde acceperat,

conscribique gestit cum iis,

per quorum haut ingloria vestigia inuecta est

in famæ & felicitatis sacrarium;

relinquit interim, a quibus discedit,

nomen æternorum temporum fastis dudum inscriptum,

vestigia diligenti & recta scholasticæ rei administratione signata

& illustrata,

calcanda collegis & successoribus,

qui sartam tectamque optant Gymnasii incolumitatem & dignitatem,

qui saluas volunt animas alumnorum & suas:

relinquit bonis vitæ publicæ priuatimque bene agendæ exemplum,

ciuibus suis omnibus desiderium & dolorem;

terræ relinquit, quod vnum mortale erat,

quod poterat tumulari,

fessas morbis corporis exuias,

non tamen sine lachrymis & publica ægritudine condendas.

)( 2

Con-

Conticescant voces hominum de rebus humanis male consultorum:  
senex erat,  
vitæ fatur & pertæsus;  
ad res gerendas inhabilis & rude donatus,  
dignum immortalis vitæ conditione pignus!  
Rectius sciscunt de senum casibus, qui fatorum indolem intelligunt.  
Bonum senex in domo omen!  
florentiorum rerumpublicarum canicies flos fuit,  
instar iubaris diuini barbaris verenda in populo principe:  
amota Salomonei regni fulcra annosa rempublicam traxerunt in casum.  
Profuit Pericles senior Atheniensibus,  
Tartessii Arganthonius, sesquiseculum vita, regno duodeuiginti  
lustra complexus;  
nec Cypriorum sceptris fraudi fuerunt tremulæ & annis  
graues Cyniræ manus.  
Sint etiam procul ista votorum pretia:  
sit hebetata prudentia senilis,  
sit expugnata torpore maturitas;  
occultior est vis fatorum in vita senum.  
Publicorum malorum ingens moles in vno capite cano  
nonnunquam suspenditur,  
incumbitque mortalibus sublato, qui retinebat.  
Quem ergo salus publica tam parum sollicitat,  
vt non doleat publicæ rei, vel saltem Gymnasii vicem?  
Extinctus est, qui debita malis moribus iura remorabatur,  
qui continuis pro collegis, pro alumniis precibus excubabat,  
qui votis rei scholasticæ incolumitatem sustentabat.  
Auertat DEVS a carissimis tectis mala omina!  
& profecto auertet, si mereri desinemus,  
si reuereri discamus solidæ felicitatis causas,  
si cordi fuerint religio, veritas, fides, virtus, disciplina.  
Ad hæc  
dux, autor & exemplum HESSVS fuit,  
sub exitum vitæ toties professus,

se nihil vnquam grauius tulisse, quam sanctoris disciplinae iacturam,  
nec vlla se re magis letari,  
quam si illa possit reuocari in usum:

strenuus ipse & pertinax in moris antiqui castique custodia,  
Tanti viri iacturam si aestimare cupiet posteritas,  
excutiat vitae publicae priuataeque rationes,  
actae in luce hominum,  
in fama rerum,

non ab hac angusta tabula, sed a Germaniae litteratae plausu,  
sed ex illustrium virorum memoria repetendas,  
qui vitae ELVS testes,  
qui doctrinae & virtutis fuerunt alumni.

Tot enim inueniet praecleara virtutum documenta,  
quot aetatis gradus,  
quot actuum momenta.

Vt integrum pene seculum posset illustrare rectis studiis,

paulo post initium natus est Gotha,

CIO IOC XIII. D. XV. DECEMBR.

deceditque breui ante finem

CIO IOC XCIV. D. XXVIII. AVGVSTI:

magnum emensus vitae spatium,

si ad annorum,

maius,

si ad virtutum & praecclare factorum numerum exigas.

Primae pueritiae mores, vix ab infantia discretae,

ita approbavit vitrico, effecitque indulgentem,

vt in constituenda vtriusque fortuna

filio anteponeret priuignum,

illum in officina sutoria relinqueret,

ipsum litteris discendis admoueret,

e tenui re familiari tyrocinia sustentaret, aleret paedagogum.

Progressus ad seueriora artium rudimenta

mirifice profecit sub publicis magistris,

FVELDNERO, WEITZIO, WILKIO:

pri-

primosque adolescentiæ annos vix ingressus,  
præclara scholasticæ eruditionis specimina, & maturi habilisque ad altiora  
ingenii documenta edidit.

Neque tamen ad academica studia festinauit  
propria maturitatis æstimatione,  
quod faciunt multi:

nec iudicio & suffragatione præceptorum ad ea est dimissus,  
quod vulgo laudi ducitur;

sed extrusus est inuitus, refragatus & multa caussatus:  
quam pulchro submissi, sui conscii contemptorisque animi iudicio?  
quam raro in ista ætate exemplo?

Nec extrudi se passus esset,  
nisi a præceptoribus Ienensibus liberalium artium professoribus  
diligentissime fuisset commendatus, & tantum non in manus  
traditus.

Ienæ itaque, sub inclitis ea tempestate magistris, artes & litteras didicit,  
sacras ex prælectionibus

MAIORIS, GERHARDI, HIMMELII,

humaniores & ad politioem ingenii culturam pertinentes  
in scholis publicis priuatisque

HORSTII, PRÆTORII, SLEVOGTII, STAHLII, HOFMANNI, DILHERRI,  
REINBOTHII, ZEISOLDI:

easque perdidicit Erffurti

sub ZAPFFII, GROSHAINII ET SWARZII magisterio.

Ista fuere doctrinæ & litterarum curricula:

hæc emensus a nobiliore excipitur palæstra;  
præsto sunt magistri probatiores,

qui ita pertundunt ingenium, eumque extundunt virum,  
qui publice utilis esset:

egeſtas, fuga, mortis metus & præſentiſſima vitæ pericula, ſpoliatio,  
valetudo ſemper infirma, muneris moleſtiſſimi ærumnæ,  
ingratorum diſcipulorum iniuriæ, improborum inuidia, orbitas.

En tam grata bonis erectisque mentibus nomina,  
quam profanis curuisque morionibus ſuæ ſunt opes, copiæ, honores  
& omnia voluptatis genera!

Dedic

Dedit inter hæc exercitamenta GEORGIVS noster  
fidei, patientiæ, constantiæ dignum Christiano viro documentum.

Cur ergo miratur orbis litteratus,  
a tali manu profectos  
viros belli pacisque artibus claros,

TVNGIOS

SECKENDORFFIOS, BACHOVIOS, REICHENBACHIOS, SAVLIOS, HAPPIOS,  
WEXIOS, PRVCKNEROS, BECHMANNOS, PAVLINOS,

& quæ non Germaniæ lumina, nostræque reipublicæ columina?

Cui mirum videatur, talem iuuentutis formatorem,  
iuuenem adhuc, ad priuata ministeria expetitur  
a summis viris,

BRENDELIIS, WANGENHEIMIIS, KOHLHANSIIS,

repetitur sibi que assertum  
a Gymnasii patrii curatoribus,  
confertur clarissimis magistris,

præfectumque tandem SANCTISSIMI PRINCIPIS suffragatione  
summæ rei scholasticæ?

Incredibile est,

qua fide, qua industria, qua dexteritate, qua autoritate  
prouinciam hanc per tot annos administrauerit,  
quam forti animo defenderit & conseruauerit Gymnasii instituta?

Afflixisse videbatur bonum virum orbitas & familiæ vastitas,  
post tot suscepta ex WOLFFIA, WILCKII, præceptoris sui, nepte pignora:  
exasperata tandem ipsa desideratissimæ vxoris morte.

Sed mitigat dolorem genuina posteritas,  
formata ingenio & voce magistra, rectisque studiis conformata:  
tollunt dolendi causas ipsa orbitatis commoda,

senilis erroris auerrunca,

& magnæ variæque virtutis argumenta.

Ita nec cura pro fortuna posterorum ad turpes impellit quæstus,  
& spes inspirat improbas,  
nec deest multis bene faciendi materia.

HES.

AK 26 6634

HESSVS

præclare vsus est orbitatis suæ commodis:  
multorum egestatem plusquam paterna liberalitate subleuauit,  
donauitque publicis vsibus vniuersum patrimonium,  
tam amplum, vt sex vel plures ex reuittu ali possint  
litterarum studiosi.

Tantis virtutibus pactus est orbis litterati plausum & bonorum  
omnium studia:

his gradibus processit ad immortalitatem.

Verum istis decoris omnibus maior animus  
abiecit submisitque sese plus infra,

vt tempestiua æstimatione pensare videretur, quod moriens expertus est,  
quam vanus omnis homo,  
fumus, cinis, nihil?

Hoc quisquis fecerit, rite colit virtutes defuncti,  
legitimo honore cohonestat exequias.

Ita vult BEATVS:

ita æquum est.

Idem fac, quisquis es, & funeri iusta soluisti.

Illicet!

---

*Hoc monumento*

COLLEGARVM suorum suumque luctum,

& immortalia tam CHARI CAPITIS desideria

memoria posteritatis sacrat

GOTTFRID VOCKERODT,

CLAS. SEL. PROF.

---

Impressum Gothæ litteris Reiheri & P. P. ipso die exequiarum,

III. KAL. SEPTEMBR. CIO IDC XCIV.

WOM  
M.C.



Concurrere civitatis GOTHANÆ ordines,  
superi, inferi & medioximi!  
consecrandus est

GEORGIVS HESSVS,

GYMNASII VESTRI RECTOR,

iuuentutis, quoad vixit, formator solertissimus.

Hic nudius tertius superis adsc

gloriosis confertus man

MONNERI, SCHIPPERI, MERVLÆ, SVESSENBACHI

MEIERI, DINCKELII, HELDERI, WILCKII

eiusdem curriculi antistit

& fociorum curarum, laborum, vigili

quamdiu in hoc umbratico circ

Scilicet

magna & nobilis anir

dum ceu nouum iubar inter duodecin

refert redditque lucem, vnde

conscribique gestit cum

per quorum haut ingloria vestigi

in famæ & felicitatis sacra

relinquit interim, a quibus

nomen æternorum temporum fastis c

vestigia diligenti & recta scholasticæ rei ad

& illustrata,

calcanda collegis & succes

qui fartam tectamque optant Gymnasii ince

qui saluas volunt animas alumne

relinquit bonis vitæ publicæ priuatimque b

ciuibus suis omnibus desiderium

terræ relinquit, quod vnum n

quod poterat tumula

feffas morbis corporis ex

non tamen sine lachrymis & publica æ

) 2

